Coniectanea in Hippocratem

Scripsit

Guilelmus Schonack
Dr. phil.



Lipsiae 1910
In Libraria Dieterichiana.

Coniectanea in Hippocratem

Scripsit

Guilelmus Schonack
Dr. phil.



Lipsiae 1910
In Libraria Dieterichiana.

Typis expressit H. Laupp jr. Tubingae.

Arthuro Ludwichio
septuagenario

Johanni Vahleno
octogenario

haec libamenta critica
obtulit
gratissimus auctor.

Coniectanea in nonnulla scripta Hippocratea.

Coniecturas nemo non libenter audiet, si quis ex veris et concessis ducat.
Fr. Aug. Wolf, opusc. vol. I, p. 241.

I. De prisca medicina.

I.

I. P. M. Incipiam a loco, qui legitur in initio l. de prisca medicina, quique mihi non recte videtur traditus esse: c. 2. 2. 16. necesse est me totum enuntiatum excerpere inde a versiculo 13: *ὅστις δὲ ταῦτα ἀποβαλὼν καὶ ἀποδοκιμάσας πάντα ἑτέρῃ ὁδῷ καὶ ἑτέρῳ σχήματι ἐπιχειρεῖ ζητεῖν, καί φησί τι ἐξευρηκέναι, ἐξηπάτηται καὶ ἐξαπατᾶται.* est autem enuntiati finis, quem in suspicionem vocare volo. nam nunc quoque haereo semperque haesi in ea re, quod coniuncta inveniuntur et perfectum et praesens passivi, cuius coniunctionis vim ego quidem non intellego, quod aliis quoque accidit, cum aliter converterent atque in libris legitur. sed videamus, quid fecerint editores, interpretes, traditores. Foësius (Sect. I, p. 8) codicum scripturam servans verba Latine in hunc modum vertit: „cum fallitur, tum alios fallit". Lindenius (vol. I, p. 16) lectionem librorum sequitur vertens ad verbum, ut scriptum est: „falsus est et fallitur". non aliter Littréus egit, qui vertit: „celui-là se trompe et trompe les autres" (vol. I, p. 572); item Fuchsius, qui Germanice locum ita transtulit: *„der täuscht sich selbst und andere"*. itaque homo suspicax malevolusque facile sibi finget omnes non ipsos verba transtulisse, sed Foësium exscripsisse, excepto uno illo Lindenio. solus Ermerinsius aliam interpretandi viam ingressus est; contendit enim (vol. II, p. 20) in illis verbis iam nihil offensionis inesse, si verterentur „is cum fallitur, tum alios fallit". sed cum non ignoret eam quam postulat significationem ex istis verbis nullo modo elici posse, con-

iectura loco medelam adhibuit scribens ἐξηπάτηταί τε καὶ ἐξαπατᾷ. in annotatione notavit se codicum lectionis ne litterulam quidem omittentem ται in τε mutasse et transposuisse, quia codicum scriptura miro sensu esset et satis inepto. his addere velim praeter Henricum Weilium[1]) nuper Wilamowitzium[2]) coniecisse ἐξηπάτηται καὶ ἐξαπατᾷ, in qua coniectura hoc falsi inest, quod illa duo verba sola particula καί coniunguntur, quam componendi formam ab huius auctoris consuetudine abhorrere alio loco ostendi[3]). quae virorum doctorum molimina qui inspexerit, mirabitur omnes non intellexisse, h. l. plane mutandum esse, omnes autem consensisse in eo, quod exspectandum esset contradictio quaedam inter medicum, qui se ipsum deciperet et imperitos, quos ille falleret. sed is sensus istis verbis inesse non potest. dixerit quispiam, fortasse sic in sermonem vernaculum vertendum esse: *„er ist im Zustand beständiger Täuschung und täuscht sich noch“*: sane concedo h. l. aliquo modo sic verti posse, sed mihi videtur contorta ista interpretatio. cur enim, si quis in errore perseverat, id quod haud dubie significatur perfecto tempore ἐξηπάτηται, additur se porro quoque decipi? quod mihi videtur esse logices illud idem per idem. quin denique nihil habeamus, cur verbum ἐξαπατᾶται vertamus *„er täuscht andere“* nemo dubitabit. accedit quod nullo, opinor, loco tam mira locutio fulciri poterit. sane saepius eiusdem verbi diversa tempora leguntur, idque in utroque genere verbi. sed nullum memini me invenire exemplum, quod cum illo loco comparari potest. laudo igitur Ermerinsium, qui primum viderit h. l. morbo quodam aegrotare, quem morbum mihi non videtur recte sanasse retinens illud perfectum passivi, quod insequi iubet praesens activi. hoc solum recte intellexit ultima verbi ἐξαπατᾶται syllaba ται effici posse particulum τε; sed valde dubito, num ipse observaverit hunc scriptorem adamasse constructionem, qua duo verba τε καί voculis copulentur. mihi quidem illa coniectura non multum utilitatis emendationi videtur accrevisse. rectum sensum tum demum percipies, cum scripseris ἐ ξ α π α τ ᾶ τ α ί τ ε κ α ὶ ἐ ξ α π α τ ᾷ: cuius usus

[1]) cf. Revue de philologie N. S. vol. II. 1878 p. 87.
[2]) cf. Hermae vol. 33. 1898 p. 518.
[3]) cf. dissertationem meam ‚Curae Hippocraticae‘ diss. Regim. 1908, p. 84—85.

notissimi praesentis passivi et activi arte copulandi multis multarum linguarum exemplis et antiquarum et recentiorum illustratur [4]). aptissimum erit nos, cum de Hippocrate res agatur, ex libris Hippocraticis exemplum afferre, ex l. de fractis c. 31. 96. 22 K. II: εἰ δὲ μή, οὐδὲν δεῖ μάτην ὀχλεῖν καὶ ὀχλεῖσθαι. hoc exemplum propterea solum sufficit ad illum locum eo modo, quo proposui, restituendum, quia hic quoque agitur de duobus personis: verbum enim ὀχλεῖν pertinet ad medicum, verbum ὀχλεῖσθαι ad aegrotum (supplenda sunt verba τὸν ἰητρὸν .... τὸν κάμνοντα). quae autem simplicior est immutatio quam illa? in quod mendum librarius, imprimis tum, cum erat scriba „cogitans“, facilius incidere potuit quam in illud? modo scripserat ἐξευρηκέναι: nonne illo perfecti activi infinitivo quivis adduci potuit, ut idem tempus falso introduceret in insequentem locum, sed cum sequeretur praesens passivi tempus, perfectum passivi, quod nihil stare potest? mihi quidem hoc videtur veri esse simillimum. qui denique quaerit, qui sint illi, quos decipere velit medicus, non longius necesse est circumspiciat: sunt enim artis medicinae imperiti, i. e. δημόται vel ἰδιῶται, *„die Laien“* qui saepius in hoc capite commemorantur: cf. p. 2. 21 μάλιστα δέ μοι δοκεῖ περὶ ταύτης δεῖν λέγοντα τῆς τέχνης γνωστὰ λέγειν τοῖσι δημότῃσι. p. 3. 2 καταμανθάνειν ὡς γίνεται καὶ παύεται δημότας ἐόντας οὐ ῥηΐδιον. p. 3. 5 εἰ δέ τις τῆς τῶν ἰδιωτέων γνώμης ἀποτεύξεται.

II.

P. M. c. 2. 2. 21 οὐ γὰρ περὶ ἄλλων τινῶν οὔτε ζητεῖν οὔτε λέγειν προσήκει ἢ περὶ τῶν παθημάτων, ὧν αὐτοὶ οὗτοι

---

[4]) cf. Anth. Pal. XII, 210, 4: τέρπων ἐξόπιθεν, πρόσθε δὲ τερπόμενος. ἀπατᾶν δοκοῦνες ἀπατῶνται (Philo); Catull. c. 45. v. 20 mutuis animis amant, amantur. Phaedr. II. 2. 2: ament, amentur. Cic. Catil. II. 23 amare et amari didicerunt. Mart. VI. 11. 10 ut ameris ama. cf. Augustin. confess. VII. c. 2 sat erat mihi, domine, adversus illos deceptores et deceptos . . . cf. ibid. IV. 1. et V. 10. 18 (Wendland. Mus. Rhen. vol. 49. p. 309); deinde Lessingii nostri dictum „betrogene Betrüger“, quae verba composuit secundum Pasqualii, philosophi Francogallici, exemplar: „apôtres trompés ou trompeurs“. cf. Sal. Hirzel et M. Bernays in libro: „Der junge Goethe“ vol. III. p. 309: „ich spiele mit, vielmehr ich werde gespielt wie eine Marionette“. cf. finem illius poematis Fridericae Brioni dedicatae: „Und doch, welch Glück, geliebt zu werden und lieben, Götter, welch ein Glück.“ Uhlandii illud: „Wir sehn in die weiten Lande und werden doch nicht gesehn.“

νοσέουσί τε καὶ πονέουσι. in hoc enuntiato suspectum est vocabulum παθημάτων per se aptissimum. sed ut ex apparatu critico cognoscitur, librorum lectio non iam plane perspicua est. syllaba enim πα in rasura scripta invenitur, manus antiquissima ante litteram ϑ posuit σ. Kuehleweinius olim[5]) contendit verba τῶν παθημάτων expungenda esse, quia pro glossemate iuxta relativum ὧν primum in libri manuscripti margine addita essent, ex quo postea in textum irrepsissent; in editione coniecturam protulit, non confidenter, sed vacillanter, cum interrogationis signum ei apponeret. commendavit αἰσθημάτων. quod inventum, si palaeographiam quam vocamus solam spectaveris, non multum a vero videtur abesse, quia et syllabarum et litterarum numerus plane consonat. sed hoc non sufficit: semper necesse est virum coniectantem totius loci, cui medelam velit adhibere, sententiam examinare: quod qui fecerit, non dubitabit, quin deterior exeat conexus posito illo verbo, quod novissimus editor proposuit. nam αἴσθημα in linguam vernaculam conversum significat *„das Empfundene, das Gefühlte“:* quadratne hoc in scriptoris sententiam? quod si esset, scriptor diceret cuiusvis medici esse sensus exquirere, quibus aegroti laborent. hoc insulsum esse nemo negabit. neque enim sermo est de sensibus, sed de morbis imbecillorum hominum. itaque, cum πάθημα, num recte traditum sit, incertum sit, nullum aliud vocabulum aptius ponitur, quam alia aegritudinis significatio: quae ἀσθένεια esse non potest, quia verbum in μα syllabam exiens necessario desideratur: quid igitur magis videtur idoneum quam ἀσθένημα? sane nullum in promptu habeo exemplum e libris Hippocraticis sumptum, quo certe demonstratur illud vocabulum iam tum usurpatum esse. si Stephani Thesaurum linguae Graecae inspexeris, non prudentiorem te factum esse brevi cognosces: hic enim L. Dindorfius (vol. I, 2, p. 2162) illius verbi duo exempla attulit, e quibusdam libris Aristotelicis deprompta; non multum solacii praebet Bruderus, qui in Concordantia novi Testamenti (Gotting. 1904, p. 82) unum locum, ubi exstat illud verbum, ex Pauli littera ad Romanos conscripta attulit. si igitur lexicographis fides habenda est, sero tantum illud vocabulum usu venit. sed hoc non satis

[5]) cf. Hermae vol. XXII. 1887, p. 191.

causae est, cur illam ab Hippocrateorum librorum aetate alienam esse voculam contendamus. nemo porro, quod Foësius in ‚Oeconomia Hippocratis' huius verbi nullam mentionem fecit, concludet id non exstare in corpore Hippocratico. notum enim est doctissimum illum medicum non omnia, sed notabilia vocabula excerpsisse brevisque commentariis instruxisse. mihi quidem haec correctio stare videtur, praesertim cum vocula αἰσθάνημα huc introducta optime cum toto sententiarum conexu consonet. accedit quod nihil impedimur, quominus vocem παθημάτων scribae cuiusdam oscitantia huc irrepsisse putemus oculis eius in insequentem versiculum aberrantibus, ubi haec leguntur: αὐτοὺς μὲν οὖν τὰ σφέων αὐτῶν παθήματα καταμαθεῖν. itaque immutetur in hunc modum: περὶ τῶν αἰσθενημάτων, ὧν αὐτοὶ οὗτοι νοσέουσί τε καὶ πονέουσι.

III.

P. M. c. 19. 22. 20. h. l. Kuehleweinius ex coniectura Reinholdi ἴσθι τοίνυν scripsit, libri exhibent vel ἔστι (A) vel ἔτι (M). ἔτι in textum receperunt Foësius, Lindenius, Littréus, Ermerinsius. mihi quoque codicis Marciani scriptura probatur, id quod tum demum recte fieri potest, cum in altera enuntiati parte deest ὡς, quod re vera deest in Marciano. illud ἴσθι per se vividius esse haud negaverim; sed plane abhorret a simplici deductione et sicca sobriaque elocutione, quibus hic scriptor excellit. itaque, cum ἴσθι in textum recipitur, obtruditur illi rhetorica quaedam cogitandi consuetudo comptusque et ornatus dicendi mos, a quibus maculis longe abest hic medicus. accedit, quod in hoc libello nullum invenias locum, quo auctor appellat lectorem vel auditorem, quamvis saepissime se ipsum nominet (cf. p. 2. 1; 2. 17; 2. 20; 3. 18; 4. 2; 4. 4; 4. 17; 5. 19; 5. 22; 7. 22; 9. 22; 10. 1; 12. 16, 17, 22; 13. 5; 14. 22. 17, 1, 7; 18. 9; 20. 11; 21. 17; 24, 11, 14, 19; 25, 12; 26. 5; 26. 18. 20. 22; 27. 6; 30, 5. 9.) si aliquando legitur secunda verbi cuiusvis persona, tum non est mera adlocutio, sed tum Germanice reddenda est vocula „*man*" velut c. 9. 9. 19. meae sententiae adminiculo proferam item iudicasse Blassium, qui in ephemeridibus, quae „Litt. Zentralblatt" inscribuntur, 1896 p. 780 hanc Kuehleweinii editionem recensuit. breviter ille annotavit haecce: „22. 20 ἔτι und ohne ὡς mit M".

IV.

P. M. c. 19. 23, 20. hic est locus vexatissimus, qui criticos editoresque quam maxime torsit. sed audiamus codices, quas praebeant lectiones. in A legimus (v. 18): τί γὰρ αὐτὸ φήσωμεν εἶναι κρήσιας αὐτῶν ἄλλην πρὸς ἄλληλα ἐχούσας δύναμιν. in M scriptum invenimus: τί δ' ἂν αὐτὸ φαίημεν εἶναι κρῆσίς τε αὐτέων ἐστι, πλὴν πρὸς ἄλληλα ἔχουσα δύναμιν. quam sunt diversae scripturae! editores utcumque conabantur h. l. corrigere sequentes non semper stricte codices vel hunc vel illum, sed eligentes lectionem, quae iis videbatur sensui aptissima. solum priores editores, velut Foësius et Lindenius, codicis M lectionem ad verbum expresserunt, sed verterunt variis modis; hic: „quid autem ipsum esse diceremus? et temperamentum ipsorum est, verum tamen inter ipsa mutuo vim habens" (vol. I, p. 34), ille: „quid vero hoc ipsum esse dicemus? nempe eorum contemperationem esse verum ea cum mutuo inter se fiat, tum vim habere." (Sect. I. p. 16.) Littréus in prima enuntiati parte reddidit, quae leguntur in M: τί δ' ἂν αὐτὸ φαίημεν εἶναι, in secunda secutus est codicem A κρήσιας αὐτῶν ἄλλην πρὸς ἄλληλα ἐχούσας δύναμιν: quae universa vertit in hunc modum: „que devons nous donc y voir? des mélanges d'humeurs, qui ont des propriétés diverses les unes par rapport aux autres." hanc interpretandi viam Littréus excusavit hac deliberatione: in lectione recepta τε abundanter positum esse, deinde scriptura, quam praeberet A, melius expediri, quae fuisset scriptoris argumentatio. porro enucleavit auctoris sententiam pugnare h. l. contra illos, qui morbos adscriberent frigido vel calido, ex quibus qualitatibus altera alteri reniteretur; sed ut humorum coctio perficeretur necesse esse istas qualitates diversissimas esse commixtas (vol. I, p. 618). aliter Ermerinsius difficultates vitare conatus est (cf. vol. II, p. 41 annot.): cui neutrum videtur integrum, id quod re vera ita est, sed tamen in duabus sententiae partibus formandis secutus est imprimis codicem Parisinum scribens in prima parte: τί γὰρ αὐτὸ φήσομεν εἶναι. sed secunda enuntiati pars ei plena non videtur nisi in enuntiatum inseruntur voces καὶ ἄλλην, quae ponendae sunt post vocabulum ἄλλην, ut haec

sit tota structura: τί γὰρ αὐτὸ φήσομεν εἶναι; κρήσιας αὐτῶν ἄλλην καὶ ἄλλην πρὸς ἄλληλα ἐχούσας δύναμιν. quod enuntiatum hoc modo vertit: „quid vero hoc ipsum esse dicemus? nempe eorum contemperationes esse aliam aliamque inter se vim habentes".

postquam abundanter dixi de codicum scriptura deque editorum rationibus, meas de h. l. intricatissimo cogitationes proferam. primum inter omnes constat, litteras in codicibus antiquis scriptas esse uno tenore, quibus recte diremptis nostrum est ita interpungere, ut sensui est accommodatum. ego autem istum interpungendi modum, quo usus est Kuehleweinius, falsum esse iudico, cum hoc enuntiatum non constet una parte, sed duabus. post vocem εἶναι terminatur prior pars, post quam interrogationis signum ponendum est. verba autem huius prioris partis scribenda sunt, ut exstant in codice A, cuius scriptura mihi etiam in altera parte Marciano videtur praevalere, sed necesse non est cum Ermerinsio illa verba καὶ ἄλλην in hanc partem indere. neque enim sine illa coniectura enuntiatum sensu caret, id quod intelleges, si hoc modo verteris: *„denn was sollen wir sagen, das es sei?* [*was anderes als*] *Mischungen von ihnen* (cogitat de humoribus, de calido et frigido), *die einander gegenüber andere Kräfte besitzen"*. optime enim sensus percipitur, postquam ante secundam enuntiati partem addidimus δήπου vel τί ἄλλο ἤ. sed me eiusmodi aliquid, quod haud dubie deest, in textu ponere non videtur necesse esse, quia unusquisque vel hoc vel illud mente adiungere potest. aliam enim sententiae intellegendae viam vix invenias, nisi quis putaverit a voce κρήσιας nulla interrogationis vocula addita alterum enuntiatum interrogativum oriri: cui opinioni concertat huius auctoris construendi mos; duobus enim locis, ubi talia leguntur, etiam secundum enuntiatum incipit ab interrogandi vocula; c. 13. 14. 12: τί δὴ φήσομεν; πότερον αὐτῷ ἀπὸ ψυχροῦ κακοπαθέοντι θερμὰ ταῦτα προσενέγκαντες ὠφέλησαν ἢ τἀναντία; c. 16. 20. 4—5: τί ἂν ἀπὸ τούτου μέγα ἢ δεινὸν γένοιτο; ἢ τί δεῖ πολλῆς ἐπὶ τοῦτο βοηθείης; itaque valde dubito, quin haec cogitandi via recta sit et persto in sententia supra fusius enodata.

II. De Fractis.

V.

Cum variarum observationum causa varios libros Hippocraticos atque eos, qui ad chirurgiam pertinent, perlegerem, obviam se dabat mihi locus sane notabilis in libro, qui περὶ ἀγμῶν inscribitur. leguntur enim eo loco c. 26. p. 84. v. 11 vol. II ed. K. haecce: ἡ πρώτη περιβολή . . . . ὑπερεχέτω τὸ ὀθόνιον ἔνθεν τε καὶ ἔνθεν, et secundum apparatum criticum omnes codices h. l. ita exhibent interpositis inter duplex illud ἔνθεν voculis τε καί. sed si quis aliquanto accuratius libros chirurgicos (sunt autem hi: de capitis vulneribus, de officina medici, de fractis, de articulis, vectiarius, de vulneribus, de haemorrhoidibus, de fistulis) perspexerit, intelleget hanc formam non quadrare in solitam utriusque ἔνθεν componendi consuetudinem, quod infra exemplis docebo, ubi semper interpositum invenitur καί solum. nulla eius generis exempla exhibent ll. de cap. vuln., de haem., de vuln., de fist., sed satis multa alia scripta chirurgica, quae supra commemoravi. addam eandem coniungendi formam etiam in particula ἔνθα usu venire, cuius rei pauca adiciam.

I. de off. med.: c. 12. 39. 17.

II. de fractis: c. 13. 68. 6; c. 13. 68. 15; c. 13. 68. 17; c. 25. 82. 10; c. 25. 82. 15; c. 25. 83. 5; c. 25. 83. 11; c. 29. 89. 17; c. 30. 91. 14; c. 30. 92. 10; c. 48. 109. 23.

III. de articulis: c. 3. 115. 6; c. 34. 153. 18—154. 1; c. 37. 157. 6; c. 37. 158. 4; c. 43. 169. 1; c. 45. 171. 18; c. 46. 175. 21; c. 47. 176. 21; c. 47. 180. 15; c. 72. 228. 19; c. 72. 229. 13; c. 78. 238. 8; c. 80. 241. 3.

IV. vectiarius: c. 38. 269. 16.

ἔνθα: de artic. c. 10. 127. 9; c. 40. 163. 3; c. 47. 178. 16; c. 56. 200. 20; c. 74. 232. 5; c. 82. 242. 6. Qui loci, opinor, sufficiunt ad voculam τε, quae in c. 26. 84. 11 falso addita est, etiam contra codicum auctoritatem expungendam.

III. De praenotionibus.

VI.

III. Praen. c. 12. 89. 18. σημαίνει γὰρ ἀσφάλειαν καὶ τὸ νόσημα ὀλιγοχρόνιον ἔσεσθαι: sic Kuehleweinius hoc enun-

tiatum legi iubet. sed num rectam cogitandi viam ingressus sit, valde dubito. incertissimae sunt codicum scripturae: nam in codd. C' et M articulus ante νόσημα deest, qui libri etiam inter duo substantiva recte τε καί exhibent[6]); V praebet τὸ νόσημα ὀλιγοχρονιώτερον sine extremo enuntiati vocabulo ἔσεσθαι. quid hic faciendum est? hoc quidem pro certo habuerim nullo modo rectam esse lectionem ab editore novissimo commendatam, neque secundum codicum memoriam neque secundum loquendi consuetudinem ab auctore huius libelli usurpatam. primum iuvat Marcianum omisso articulo praestantiorem formam servasse, quam lectionem omnes editores uno Kuehleweinio excepto amplexi sunt (cf. Foës. sect. II, p. 40; Linden. vol. I, p. 456; Litt. vol. II, p. 140; Ermer. vol. I, p. 138); deinde codicem Vaticanum neglecto verbo ἔσεσθαι rectam lectionem servasse mox apparebit. quae omnia tum demum diiudicantur, cum accuratius in huius scriptoris in hac quidem re scribendi morem inquisivimus. perlegi igitur primum l. de praen. ipsum, deinde, iudicio, quod solo illo libro firmatur, adminiculo, similia scripta in corpore Hippocrateo tradita, dico praedictorum libros duos (Li. V, p. 510—573; Li. IX, p. 1—75) et praenotiones Coacas (Li. V, p. 588—733). exemplis, quae quantum possum omnia afferam, confirmatur primum a verbo σημαίνειν semper pendere substantiva sine articulo posita, deinde nullum verbum illis substantivis adnecti. locos, quos nunc prolaturus sum, ita dispescam, ut ordiar ab illis, ubi unum substantivum cum verbo σημαίνειν coniunctum legitur, finem faciam ab illis, ubi duplicatur substantivorum numerus. tum quivis mente praesumet, quomodo h. l. scribendus sit.

I. Praen. a) u n u m s u b s t a n t i v u m: c. 3. 81. 19. ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει. c. 7. 85. 1. σημαίνει κίνδυνον θανάτου ὀλιγοχρόνιον. c. 13. 91. 17. θάνατον σημαίνει.

b) d u o s u b s t a n t i v a: c. 3. 81. 24. παραφροσύνην γὰρ σημαίνει ἢ ὀδύνην τινὰ τῶν περὶ τὴν γαστέρα τόπων. c. 6. 83. 16. θάνατον σημαίνουσιν . . . . μῆκος νούσου. c. 9. 87. 11. σημαίνει πόνον ἢ θάνατον. c. 23. 103. 19. θάνατον σημαίνει ἢ ὑποστρο-

---

[6]) cf. dissertationem meam „Curae Hippocraticae“ 1908, p. 94.

φὴν τοῦ ἐρυθήματος. c. 25. 108. 2. τὰ κακὰ κακόν τι σημαίνει καὶ τὰ χρηστὰ ἀγαθόν.

II. Praedict. l. I. a) unum substantivum: § 52, p. 524. 1. τὰ ὀλέθρια ἀσήμως ῥᾳστωνήσαντα θάνατον σημαίνει. § 132, p. 558. 3. τὸ οὖρον τοιοῦτόν τι σημαίνει.

b) duo substantiva: nullum legitur exemplum.

III. Praedict. l. II. a) unum substantivum: nullum legitur exemplum.

b) duo substantiva: c. 22, p. 50. 25. τῷ τε ἐμβρύῳ ὄλεθρον σημαίνει καὶ τῇ ἐχούσῃ κίνδυνον.

IV. Praenot. Coac. a) unum substantivum: § 18, p. 590. 7. σημαίνει πτυέλου πλῆθος § 66. 598. τὰ πελιδνὰ γινόμενα .... θάνατον σημαίνει. § 73. 600. βουβῶνος ἄλγημα νοῦσον χρονίην σημαίνει. § 81. 600. ῥιπτασμός .... σπασμὸν σημαίνει. § 145. 614. λύσιν ἐν τῇ ἑβδόμῃ σημαίνει. § 147. 614. βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν. § 228. 634. ταχὺν θάνατον σημαίνουσι. § 280. 646. θάνατον ἐξαπίναιον σημαίνει. § 340. 656. κακόν τι σημαίνει. § 353. 658. γλώσσης ἀποπληξίην .... σημαίνει. § 413. 676. αἱματώδεα διαχώρησιν σημαίνει. § 435. 682. φθίσιν ἔξιος σημαίνει. § 484. 692. πονηρὸν σημαίνει. § 521. 704. ῥῖγος σημαίνει. § 522. 704. χρόνια σημαίνει. § 562. 712. χρόνον σημαίνει. § 564. 712. ταχεῖαν ἄφεσιν σημαίνει. § 571. 716. σημαίνει πυρετόν. § 602. 724. μῆκος νούσου σημαίνει. § 606. 724. κοιλίης πονηρίην σημαίνει. § 622. 728. σημαίνει πόνον κοιλίης.

b) duo substantiva: § 151. 616. καὶ θηριώδη καὶ σπασμὸν σημαίνουσι. § 487. 694. παραφροσύνην σημαίνει καὶ πόνους. § 575. 718. χρόνον καὶ κίνδυνον σημαίνει. Quibus exemplis collectis omnibus affatim demonstratur me recte iudicare sic locum, in quo offendi, corrigentem: σημαίνει γὰρ ἀσφάλειάν τε καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον.

VII.

2. **Praen.** c. 23, p. 104, v. 5—15. Facere non possum, quin in hanc capitis vigesimi tertii partem fusius excurram: nam ab Ermerinsio in discrimen vocata est, cui adstipulatus est Kuehleweinius, qui totam explicationem, quae incipit a verbis οἱ δὲ γαργαρεῶνες ἐπικίνδυνοι et terminatur verbis μὴ

ἀποπνίγηται ὁ ἄνθρωπος cancellis ut subditivam circumscripsit. equidem non intellego, qua deliberatione adducti illi viri docti de h. l. suspicionem moverint. nam quae Ermerinsius attulit ad sententiam suam fulciendam non sufficiunt causas in utramque partem acute examinanti. sed audiamus illum ipsum (cf. vol. I, p. 152): „hanc § uncis intercepi, non quod certo sciam eam non ab auctore Prognostici esse conscriptam, sed quia certus sum eam ad Prognosticum non pertinere: fortasse ad librum chirurgicum aut therapeutici argumenti pertinuerit". sane, egregia demonstrandi ratio, si quis nullis certis argumentis allatis ex mera opinione, quam sibi finxit, tantam capitis partem expungere velit! immo alia via ingredienda est. primum examinemus necesse est singulorum et capitum et sententiarum, quae antecedunt, conexum, utrum aliquid inconcinni in iis insit necne. omnis igitur deductio, quae incipit a capite 21 et finitur c. 23, uno tenore repetenda est: in c. 21 auctor loquitur de capitis doloribus cum febre continentibus; qui, si aliquamdiu commorantur, timendum est, ne sanguis ex naso erumpat. a naribus in c. 22 transgreditur ad aures, ubi simili modo dolores cum febre coniuncti accidunt. in c. 23 transit ad faucium morbum, quem febris insequitur, quo in capite complura exponuntur de anginarum varietate: cuius capitis in calce optime, si quid sentimus, faucibus descriptis traducitur ad uvam, quae inest in faucibus: non sine momento est iam in faucium morbosarum descriptione commemorari ruborem ut periculosum funestumque (cf. c. 23. p. 103. 10. 13. 15. 16. 17. p. 104. 1. 2. 6), id quod postea quoque, ubi de uvis res agitur, repetitur (p. 104. 6). profecto non medico opus est ad intellegendum totum sententiarum conexum nullam offensionis ansam praebere: nam finita capitis eiusque partium aegritudinum descriptione scriptor recte procedit ad faucium earumque partium morbos illustrandos. sed puto me eruisse, qua via Ermerinsius in illud mendum incideret; vertit enim, haud dubie Lindenii popularis, cuius editio pro vulgata adhibebatur, auctoritate commotus, vocabulum γαργαρεών Latino verbo gurgulionis: falso, nam, ut lingua vernacula vocis Graecae significationem explicem, γαργαρεών sonat *„das Zäpfchen im Munde"*, gurgulio autem quadrat in nostrum vocabulum, quod est *„Gur-*

gel" vel „*Luftröhre*": quod si significaretur, quivis medico Batavo concederet non certo ordine auctorem morbos descripsisse. vocabulum vere Latinum, quo Ermerinsius uti debuisset, est uva; quod Cornelii Celsi, quem Hippocratis quasi sectatorem fuisse inter omnes constat, exemplis illustrare mihi liceat. duo afferam: de med. l. VI. c. 8. § 2: „adeo increscit (sc. polypus), uti post uvam concipi possit"; hic uvam palati intelligendam esse nemo negabit. alter locus est aptior, quia ad verbum videtur e prognostico excriptus: nam confer VII. 13. 3 „uva, si cum inflammatione descendit dolorique est et subrubicundi coloris, praecidi sine periculo non potest", . . et prog. c. 23. 104. 5—6 οἱ δὲ γαργαρεῶνες ἐπικίνδυνοι ἀποτάμνεσθαι .... ἔστ' ἂν ἐρυθροὶ ἔωσι .... quam illorum medicorum (dico brevitatis causa medicos, sed certo scio Celsum, ut Graece loquar, non fuisse ἰατρόν, sed φιλίατρον) similitudinem ut neque Ermerinsius neque Darembergius, Celsi editor, senserint, mirum est. a qua digressione redeamus ad propositum. postquam ex sententiarum conexus explicatione et illam partem consummatam atque perfectam esse et Ermerinsium vertendo in avia aberrasse demonstravimus, non iam videtur necesse nos longius sermonem facere de verbis, quae in illa capitis 23 parte usurpantur. haec sufficiant, nihil magis Hippocrateum colorem prae se ferre, quam illam et capitis et faucium morborum descriptionem eamque omnino non abhorrere a tota auctoris, cui l. de praen. debetur, elocutione. postremo operae pretium est addere illum locum primum ab Ermerinsio asterisco notatum esse: nam ex reliquis editoribus nemo illam capitis partem non exhibet, velut Foësius (sectio II. l. 1. p. 45), Lindenius (vol. I. p. 467), Littréus (vol. II. p. 178). item Fuchsius, qui corpus Hippocraticum in linguam Germanicam convertit, in eo capite non offendit, quia in vol. I. p. 468 nullo in ulla annotatione vituperationis verbo addito legitur. itaque perstamus in ea sententia hanc partem mordicus tenendam esse.

Berolini. *Guilelmus Schonack.*
